

Petrus de Vinea

*Ep. I 16 (Quantum et qualiter
hactenus pro generali...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. I 16 (Quantum et qualiter
hactenus pro generali...)*

agosto 1248

Regi Anglorum, narrans ei, quod non potuit obtinere pacem cum domino papa

1. Quantum et qualiter hactenus pro generali bono fidei Christianae, Terrae Sanctae precipue, ad cuius recuperationem uniuersorum Christianorum sed precipue regum et principum uota suspirant, ad pacis uniuersaliter expectatae dulcedinem inter nos et istum ac alios Romanos pontifices procurandam humilitatis nostrae colla submisimus, serenitatem uestram scire iam credimus, nec mundus ignorat. 2. Volumus siquidem pacem reuerenter expetere, ne immundi crassari discidiis uideamur, uolumus illum antiquum patientia nostra temperare rigorem, quem nonnullos progenitores nostros, diuos Romanos Augustos, in similibus forsan nouimus habuisse. 3. Nuper etiam ad requisitiones et preces illustris regis Francorum, dilecti amici nostri, quem in Terrae Sanctae subsidium personaliter et instanter accinctum percepimus, desperatum quodammodo pacis negotium resumere delectabat, quamquam nos preteritorum experimento perterriti, de pacis dubitare negotio necessario cogeremur, dum quoties humilitatis ad pacem euidencia signa monstrauius, totiens uoluntatem partis aduersae inuenimus duriolem. 4. De processu tamen regis eiusdem ad papalem presentiam, talem qualem fiduciam obtinentes... et..., fideles nostros, sollempnes excellentiae nostrae legatos, plenae nostrae uoluntatis auctoritate suffultos specialiter prouidimus destinandos, qui dum pro honore Ecclesiae matris nostrae ac felicibus Christianitatis auspiciis, saluo honore semper Imperii et regnorum, quibus, actore Domino, presidemus, uoluntatem nostram ad pacem paratam exponerent, et

manifesta presagia futurae satisfactionis offerrent, quae rex ipse suficientia reputabat. 5. Iste bonus pastor Ecclesiae, nullum ad ius et honorem Imperii ac ad nos uoluit habere respectum, sed totum suae subicere potestati pro Lombardorum negotio, quod pacis tractatui semper hactenus impedimenta pararat, per hoc pacem, quam debebat exquirere, turpiter profugauit oblatam. 6. Ecce itaque, quesiuimus pacem et non inuenimus, uocauimus eam, nec uocata respondit. 7. Restat igitur, ut sic nostra et Imperii nostri iura aliorumque regum et principum in causa nostra tueamur uiriliter, quod nos non oporteat pacem amplius impudenter expetere, sed potius acceptare petitam.